

cem intelligentiam; sicut juxta nos habet certitudinem metaphysicam de hac veritate per scientiam medium; ergo.

R. N. M. Deus per scientiam simplicis intelligentiae comprehendendo hanc gratiam et voluntatis indolem videt duntaxat gratiae auxilium habere necessitatem *moralement* ad consensum, non autem in illis videt consensum infallibiliter futurum; quia hic est simpliciter contingens, cuiusmodi res tantum per scientiam medium cognoscuntur, ut dictum in Tr. de Deo.

Inst. 1. Hæc veritas conditionata est metaphysice certa, et cognoscitur per simplicem intelligentiam: *si existeret morali necessitate consensus, daretur consensus;* ergo etiam metaphysice certa est, et per simplicem intelligentiam cognoscitur hæc veritas: *si existeret auxilium gratiae moraliter necessario inferentis consensum, daretur consensus;* quia metaphysice certum est, quod moraliter necessario existat consensus, si existit auxilium moraliter necessario inferens consensus.

R. 1^o. D. A. Hæc veritas est metaphysice certa et per simplicem intelligentiam cognoscitur, si aequivaleat huic: *si existeret consensus procedens ex morali necessitate, existeret consensus C.* si aequivaleat alteri: *si existeret moralis necessitas ad consensum, existeret consensus N.* Quia simpliciter et absolute fallere potest, quod tantum sub conditione moraliter necessaria interfertur.

R. 2^o. T. A. N. *Cons.* et *prob.* Ex eo enim, quod metaphysice certum sit, si existat aliquod auxilium, moraliter existere consensum, consensus non existat certo metaphysice, sed tantum moraliter; adeoque nec scientiam Dei metaphysice certam fundare *objective* potest.

Inst. 2. Gratia ejusmodi non necessilaret voluntatem ad consensum necessitate *physica*, sed tantum *moralis*, ut supponitur; ergo simpliciter manet libertas.

R. 1^o. N. A. Quamvis adversarii asserant in *thesi* *moralement* duntaxat necessitatem, tamen in ejus defensione admittere vel volunt, vel coguntur majorem; tum quia talem gratiae cum consensu connexionem statuunt, ut pro *omni casu possibili* implicet, consensum non sequi: tum quia summam divinæ scientiæ certitudinem salvare laborant: unde quantum volunt salvare humanam libertatem, tantum destruunt infallibilitatem divinam.

R. 2^o. D. *Cons.* Manet libertas mere *physica* T. *moralis N.*

Inst. 3. Quamvis homo lapsus sine gratia nequeat moraliter vincere *tentationes graves*, tamen is cedendo tentationi peccaret, quia saltem habet potentiam physicam illi resistendi; ergo similiter homo cum illa gratia meritorie adhuc ageret, et sic retineret suam libertatem.

R. T. A. N. *Cons.* *Disparitas* est; peccator in statu naturæ lapsæ non est sine *gratia sufficiente* vel proxime, vel remote tali, unde habet potentiam saltem secundum quid *moralement* resistendi *tentationibus gravibus*; adeoque non dicitur peccare *libere*, quia solam habet potentiam physicam resistendi: e contra cum ista gratia nequidem secundum quid staret moralis potentia dissentiendo, adeoque nec libertas aut meritum salvaretur; præsertim cum nec *physica* potentia sit vera, quæ pro nullo casu possibili exeritur ob proprium, vel alienum impedimentum.

Inst. 4. Gratia, qua conversus est PAULUS, fuit talis, quæ voluntatem ita movit, ut *moraliter* implicaret consensum non sequi, ut patet Act. 9. ex

verbis Christi: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*, et ex encomio Aug.: *Magna et efficacissima gratia*; item talis appareat in pluribus justis, ac virtutum habitu valde intenso acquisito imbutis, qui saepe ad actus faciliores ita excitantur, ut habere necessitatem *moralement* videantur; ergo.

R. Nec ex textu *SCRIPTURE*, nec ex verbis AUG. colligitur vis tanta illius gratiae, ut moraliter necessitarit, sed ea tantum, cui resistere fuerit difficile; unde negari potest *Antec.* Sed eo etiam permisso negatur tamen *Cons.*, quia consecutio non valet a particularibus quibusdam ad universale; nec ex hoc, quod gratia efficax interdum moraliter minus stricte necessitet, inferri potest, hanc esse gratiae efficacis essentiam.

ARTICULUS II.

AN EFFICACIA GRATIAE STET IN ENTITATE AUXILII DIVINI COMPARATIVE SUMPTI?

367. *Nota.* Questionem hanc asserunt non tantum Jansenius cum suis sequacibus, sed et Catholicorum non pauci, qui, quoniam profitentur, famosas quinque propositiones sincere a se anathematizari, eos INNOC. XII. in Brevi an. 1694. ad Belgas dato prohibet, invidioso *Jansenistarum* nomine traduci et nuncupari. Quomodo Jansenius efficaciam gratiae non ex sola entitate illius, prout hæc est in se, sed prout concurrit cum minore concupiscentia opposita, repeatat; expositum est tum num. 216., tum 326.

Ex hujus systemate *reliqui* præsentis quæstionis assertores, supposita delectationis indeliberae ac prævenientis in carnalem seu terrenam, et in spiritualem seu cœlestem divisione et gradualitate, assumunt 1^o. delectationem unam alteri superiore gradu, seu viribus fortiorum et intensiorem, ipso etiam effectu-eamdem vincere: 2^o. alterutram esse principium et causam omnium actuum humanorum: 3^o. aliquo modo necessarium esse, ut secundum id, quod nos amplius delectat, seu secundum delectationem victricem, agamus.

Ex his statuunt 1^o. gratiam esse inspirationem sanctæ delectationis: 2^o. hanc delectationem habere suos gradus; eamque, quæ victrix est, seu superat contrariam cupiditatem, esse efficacem; quæ vero vincitur ac minor est, esse inefficacem: 3^o. ab eadem delectatione victrice ita moveri et determinari voluntatem, ut necessario sequatur consensus effectus.

368. *Dico I.* Efficacia gratiae non stat in delectatione relative superiore, seu victrice *ad sensum Jansenii*.

Prob. I. Delectatio relative victrix *ad sensum Jansenii* est fundamentum et basis universi ejus systematis, ex eaque propositiones quinque famosæ deducuntur, ut num. 216. est ostensum: sed et illud sistema inimicum est libertati, ac propositiones illæ sunt saepius damnatae; ergo nec ejus basis et fundamentum, nec harum radix et origo sana esse potest ac tolerabilis.

Prob. II. Gratiae efficacia non stat in motione voluntatem *necessitante*: sed delectatio victrix in sensu Jansenii est motio voluntatem necessitans; tum quia ex illius principiis voluntas humana per Adæ peccatum amisit vim flectendi sese pro nutu suo ad aliquid, et hujus facultatis loco successit

delectatio, vel ita impellens ad bonum, si cœlestis sit et superior; vel ad malum, si terrena sit et superior, ut voluntas necessario hunc impulsum sequatur: tum quia ex ejus prop. quarta, gratiae non potest humana voluntas resistere; ergo.

Prob. III. Discrimina, quæ Jansenius L. 8. de gr. Chr. c. 21. inter suam de gratia et libero arbitrio doctrinam et illam *Calvini* a TRID. damnatam ponit, sunt inania et quoad rem nulla; ergo illius de gratia sistema non minus, ac Calvinianum, est damnatum. *Ant.* patet: Nam 1º. dum *Calvinus* negat esse in homine boni malique electionem, negat quidem electionem proprie dictam, quæ stet in determinatione voluntatis habentis potestatem se determinandi ad oppositum, quod ipsum inficiatur *Jansenius*: non autem negat improprie dictam, quæ consistat in actione voluntatis spontanea cum advertentia rationis, a Jansenio assertam.

2º. Dum *Calvinus* docet, gratiam ita movere hominem, ut ei non sit liberum resistere, negat tantum hominem motioni gratiae posse resistere in *sensu composito*, seu posse conjungere dissensum cum motione gratiae, quod ipsum *Jansenius* L. 8. de gr. Chr. c. 3. negat: non vero negat, hominem resistere posse in *sensu diviso*, seu sub motione gratiae manere in homine potentiam peccandi, positam præcise in eo, quod voluntas adhuc sit flexibilis ad malum, et cum ea remaneat concupiscentia; per quod eodem Libr. c. 20. se distinguere conatur *Jansenius*.

3º. Dum *Jansenius* scribit, *Calvinum* nolle, quod hominis voluntas gratiae moventi pedissequa consentiat, falsum imponit; cum hic loco designato sic loquatur: *Quatenus voluntas a gratia prævenitur, in eo, ut pedissequam appelles, tibi permitto: sed quia reformata opus est Domini, hoc perperam homini tribuitur, quod prævenienti gratiae pedissequa voluntate obsequatur.* Itaque *Calvinus* duntaxat negat, liberum esse homini obsequi, vel non obsequi pro arbitrio, atque hinc non tribuendum esse homini, quod obsequatur; quam ipsam doctrinam *Jans.* L. de gr. primi hom. et ang. c. 15. profitetur.

4º. Dum *Calvinus* contendit, virtutem et vitium, bene agere et male, non esse in nostra potestate, idem negat et asserit, quod *Jansenius*; quia negat esse in nostra potestate, quæ sit ad neutram partem determinata et libera a necessitate, non vero negat esse in nostra potestate, quæ, quamvis sit alligata uni parti, tamen adhuc *sponte* agit, et *non coacta*.

5º. Dum *Calvinus* tollit ab homine liberum arbitrium, illud non in alio sensu negat, quam quo etiam negatur a Jansenio, nempe sumptum pro facultate agendi et non-agendi expedita et immuni ab omni necessitate antecedente simplici etiam voluntaria: et e contra etiam admittit in sensu *Jansenii*, nempe sumptum pro sola libertate *a coactione* seu facultate agendi sponte et non coacte.

Conf. Quamvis *Calvinus* suis de gratia et libero arbitrio erroribus adjunxit alium, nempe mandata Dei etiam cum quacunque efficaci gratia esse servatu *impossibilia*, atque hinc videatur satis amplum discrimen inter eum ac *Jansenium* hoc dogma repudiantem intercedere; tamen inter utrumque reipsa non est distinctio in dogmate, sed tantum in principiis. Juxta *Calvinum* enim precepta sunt servatu impossibilia, quia homo in quolibet opere etiam salutari peccat: ideo autem peccat, quia cuilibet actioni deliberatae

conjunctus est motus *concupiscentiae* indeliberatus, qui in hujus haeretici opinione veri peccati rationem habet.

In *Janseniano* autem systemate etiam semper adest *delectatio concupiscentiae*, quæ, quamvis sit relative minor, ubi adest *delectatio* *victrix cœlestis*, tamen deliberatum aliquem motum voluntatis in malum excitat, sicut ex doctrina *Jansenii* L. 2. de gr. c. 27. minima gratiae *delectatio* semper imperfectum aliquem pietatis affectum deliberatum producit, quantumvis ex adverso concupiscentia ardenter pugnet et vincat; ergo in hoc systemate homo in quolibet opere etiam salutari peccat; ergo, quia homo semper peccat, precepta Dei homini *impossibilia* evadunt.

369. *Dico II.* Efficacia gratiae neque stat in *delectatione* relative victrici ad sensum *quorumdam Catholicorum* supra expositum.

Prob. I. Principium hoc, quod voluntas majori semper *delectationi* obsequatur, *Catholicis* maxime suspectum videri debet; tum quia *Jansenius* hoc tanquam cardinem et *basin* sue doctrinæ, et tanquam filum *Ariadneum* in *Augustiniano* labyrintho habuit; tum quia hoc salvo cetera omnia salva esse contestati sunt celebriores *Jansenii* sectatores, ut *Abbas de Bourzeis* coll. 3. c. 30. declarat: tum quia ex hoc principio cetera doctrinae *Jansenianæ* capita naturali prorsus ac necessaria illatione consequuntur: sed huic principio nixa etiam est *Catholicorum* ista de efficacia gratiae sententia; ergo.

Prob. II. Gratia certo et infallibiliter efficax ex *graduali virium superioritate*, quam *Catholici* etiam *delectationis* relative victricis nomine adstruunt, vere ac proprie est *necessitans*, quia ita determinat voluntatem, ut eam supponat destitutam vere et proprie dicta potentia resistendi. Nam supponit, voluntatem non habere vires ad resistendum nisi inferiores: sed voluntas, quæ non habet nisi vires inferiores ad resistendum, caret vera ac proprie dicta potentia resistendi, ubi vires contrariae in voluntatem agunt *ut superiores*; cum physice impossible sit, ut vires superiores, quæ *ut superiores* agunt, vincantur ab inferioribus, cum alias necesse foret inferiores efficaciter operari ultra activitatis suæ gradus; ergo.

Prob. III. Ex systemate *delectationis* *victricis* etiam a *Catholicis* adoptato sequitur 1º., non dari gratiam vere sufficientem contradistinctam ab efficaci. Nam *vere sufficiens* est, quæ tribuit voluntati potentiam ad opus bonum expeditam et relativam etiam ad præsentes subjecti circumstantias, ac præterea sufficit, ut homo cum ea ponat opus bonum: sed *delectatio sancta viribus inferior* relate ad concupiscentiam superiorem, non tribuit potentiam expeditam relate ad præsentes subjecti circumstantias; neque sufficit, ut homo cum ea ponat opus bonum; cum ad hoc ponendum necessaria sit *delectatio sancta* *victrix*; ergo.

2º. Sequitur, vel nulli, vel omni gratiae resisti. Imprimis enim in hoc systemate *nulli* gratiae resistitur; quia etiam *delectatio* *inferior* semper sortitur effectum aliquem, nempe pium desiderium etiam deliberatum sed imperfectum, quantum scilicet opposita *delectatio* hic et nunc permittit: deinde *omni* etiam gratiae resistitur; quia *delectatio cœlestis* *victrix* perfectiorem etiam effectum produceret in subjecto minus resistente, et a *delectatione* *terrena* quantumvis *inferiore* vacuo.

3º. Sequitur, gratiam non esse *ex se* et virtute sua intrinseca efficacem: eadem enim gratiae delectatio gradualis, quae est victrix in uno, est in alio inefficax ob majorem concupiscentiam oppositam; ergo quod victrix in illo sit efficax, non est ex illius natura, sed ex minori oppositae concupiscentiae resistantia, et sic *ab extrinseco*.

4º. Sequitur, admittendam esse *scientiam medium*, qua Deus prius dirigitur, quam gratiam victricem absolute decernat; nisi enim Deus exploraverit, quot concupiscentiae gradus homo sit habiturus, dum voluerit conferre gratiam efficacem, erit incertus ac dubius de gratiae effectu, cum nonnisi gradibus superior delectatio sancta vincat concupiscentiam.

Prob. IV. Cum delectatione sancta relative victrici, nequit componi *vera libertas*. Si enim haec componeretur; ergo quia praesente hac delectatione bonum non proponitur sub *omni ratione boni*, et in eo quoque potest apprehendi aliqua ratio mali, adeoque salvatur *indifferentia*: sed haec *indifferentia* cum sit *mere objectiva*, non sufficit ad libertatem veram, sed requiritur activa; cum alias vinctus catenis, aut qualitate aliqua necessitante divinitus ad unam partem determinatus, aut destitutus divino concursu retineret *veram libertatem*, modo objectum non proponeretur sub *omni ratione boni*, et posset sub aliqua ratione mali apprehendi; ergo.

Prob. V. Cum eadem delectatione victrici nequit stare *vera possiblitas resistendi*. Nam posita delectatione victrici, juxta adversarios, aequa est *impossibile* illi resistere, ac impossibile est virum gravem et sanæ mentis sibi effodere oculos, aut nudo corpore sub meridiem in frequentes urbis plateas procurrere præcise ad ostendendam suam libertatem vel ad jocandum: sed hoc impossibile est *impossibilitate* non tantum morali, sed *physica*; tum quia ostensio libertatis vel captatio joci est vel nullum motivum, vel plane insufficiens ad ejusmodi actiones ab homine sanæ mentis ponendas; sine omni tamen motivo aut *apparenter* saltem sufficienti agere hominem prudentem, est physice impossibile: tum quia, si quis haec ob ejusmodi rationem faceret, hoc ipso haberetur mente captus; adeoque homini sanæ mentis id agere physice repugnat; ergo. Atqui ubi est *physica impossibilitas*, non potest vera possiblitas asseri; ergo.

370. *Obj. I.* S. AUG. pluribus in locis testatur, voluntatem sine delectatione non moveri aut agere posse; e. g. L. 1. ad Simpl. q. 2. n. 21. *Quis animo complectatur aliquid, quod eum non delectat?* et ib. n. 22. *Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrit, quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest.*

R. D. S. AUG. passim testatur, voluntatem, in quantum est facultas maliaversativa, non moveri etc. N. in quantum est facultas boni prosecutiva *subd.* non moveri aut agere posse sine delectatione stricte et proprie sumpta, seu amore rationem jucundi prosequente N. sine delectatione impropre sumpta seu amore qualicumque C. S. Doctor passim utitur voluntate pro facultate prosecutiva; tum quia haec nobilior habetur, et antonomastice vocatur voluntas: tum quia hujus actus frequentiores ac notiores sunt; ac præterea opportuniiores erant ad ostendendum *Pelagianis*, nihil boni absque gratia inchoari, desiderari et haberi posse.

Inst. 1. Voluntas est facultas *essentialiter appetitiva*, sicut intellectus est

facultas cognoscitiva; adeo ut quemadmodum nulla potest esse operatio intellectus, nisi cognitio sive affirmet, sive neget: ita nulla sit actio voluntatis, nisi volitus seu appetitus boni sive *amet*, sive *oderit*: sed voluntas nec velle, nec appetere potest bonum, nisi ipsi placeat, eique proponatur ut conveniens; ergo.

R. N. M. Quamvis enim voluntas possit eatenus dici *essentialiter appetitiva*, quatenus appetitus communis est tam irascibili, quam concupiscibili, motumque duntaxat intentionalem et affectum significat; et hinc omnis voluntatis actio forte certius dici queat *affectio* quædam circa objectum, quam quælibet intellectus operatio dicatur objecti repraesentatio: male tamen statuitur, omnem voluntatis actionem esse *formaliter prosecutivam boni*, et hinc tum eamdem, tum voluntatem *essentialiter* dicere appetitum concupisibilem seu boni; quia sicut negatio formaliter non est affirmatio, sic nec aversio et fuga est prosecutio.

Inst. 2. *Finis* juxta omnes est prima causa bonitate sua cæteras excitans, et ejus causalitas seu ratio, qua tendit in effectum, est metaphorica motio voluntatis: sed motio primaria, quam bonitas finis efficit in voluntate, est complacentia vel *delectatio*; ergo prima omnium voluntatis actio est *delectatio*. Et quandocumque homo agit, semper agit ex *amore finis ultimi* et beatitudinis saltem universim spectatæ; ergo omnis actionis humanæ principium est amor boni seu *delectatio*.

R. D. M. Finis ultimus est prima causa bonitate sua movens C. finis intermedius et proximus *subd.* si sit positivus, movet sua bonitate C. si sit privativus N. Quemadmodum plures actus sunt, quibus voluntas *aversatur* objectum, ita et motivum et finis horum actuum dari debet, qui non potest esse bonitas, sed malitia objecti; adeoque et finis *privativus* debet admitti, qui est malum, quod propter se abhorret; sicut communius statuitur finis *positivus*, qui est bonum, quod propter se expeditur. Quia tamen, si ultimam agendi rationem attendamus, *aversamur* ideo malum, ut beati et felices simus, et ipsa beatitudo non minus mala omnia excludit, quam bona complectitur; hinc nonnisi finis, qui sit intermedius aut *proximus*, potest esse *privativus*.

Ex hoc tamen, quod finem *ultimum* admittamus movere sua bonitate, sequitur quidem complacentiam esse principium *remotum* omnium actionum humanarum, non vero proximum: sed, ut supra jam diximus, de proximo tantum, non autem remoto, actionum humanarum principio hic disceptatur; quia de actionibus *liberis*, *supernaturalibus* et *meritoriis* agitur, cujusmodi non sunt actus immediate ad beatitudinem terminati, vel ab ea profecti, utpote necessarii, naturales, et hinc nullius meriti.

Inst. 3. Delectationis gradum esse mensuram et regulam ardoris et impetus quo voluntas fertur in objectum, patet ex AUG. tum L. 2. de pecc. mer. et remiss. c. 17. n. 26. scribente: *Nolunt homines facere, quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat; tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardenter;* tum L. de spir. et litt. c. 35. n. 63.

R. D. Ass. Gradus delectationis liberæ ac deliberatae est regula et mensura ardoris et impetus, quo voluntas fertur in objectum, illudque eligit ac prosequitur C. gradus delectationis prevenientis usum rationis et indeliberatae